



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno MCCCCXLVII. ad annum MDXXVII.

**Parisiis, 1644**

Candido lectori, F. Laurentius Surius.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15644**

rum catalogum retulit. Festis solennibus etiam diem conceptionis, præsentationis beatæ virginis, sanctæ Annæ, Iosephi & Francisci adscripsit. Annum Iubilæi ad vigesimumquintum annum rededit. Cauit edicto, ne porphyretici lapides, neve marmorei ad profanos usus e templis tollerentur. Ut Franciscani & Dominicani pacifice viuerent, decreuit de conceptione Virginis quamlibet aduersantium opinionum sine heresis vitio sustineri posse. Catholici regis nomen Ferdinando & Isabellæ tribuit, officiumque inquisitionis in Hispania collocauit. Petrum affinem cardinalem sancti Sixti creauit. Hieronymo Forum Liuui dedit, Antonio Ordelafo ademptum; & effecit, ut dux Insubrum Catharinam naturalem filiam & Imolam ei in dotem daret. Sed infelicem habuit exitum vitæ. Occisus quippe est domi suæ in oculis Catharinæ vxoris. Sextus ad ornatum elegantiamque conuersus, urbem pulcerimis elegantissimisque operibus excolere cœpit, vias latitudines sternere, eaque loca reformare, quæ tenebrisca aut humida nimium, aut deformem ciuitatem, aut insalubrem reddebant; pontem sui nominis extruere, aquæ virginis ductum corriuare, celeberrimam Vaticani bibliothecam libris vndique conquisitis erigere. Ingens ecclesiæ propugnator, generosæ indolis, liberalis, excelsi animi fuit. Primus venalia habuit curiæ officia, & noua ad lucrum excogitauit. Nonnulla conscripsit, quæ apud eruditos viros in precio sunt. Obiit septuagenarius, podagra aliisque curis vexatus, & sepultus est in Vaticano, anno Domini 1484. pridie Idus Augusti, cum sedisset annos tredecim, & dies quatuor.

---

*Candido lectori, F. Laurentius Surius.*

Hoc loco adscribenda putauimus, quæ Sixtus quartus pontifex maximus de conceptione sacratissimæ virginis Mariæ promulgavit & sanxit, quemadmodum in extrauagantibus lib. 3, tit. de reliquiis & veneratione sanctorum leguntur, propterea quod Synodus Tridentina Sixti huius sententiam secuta est. Verba Synodi eius hæc sunt sessione 5. *Declarat tamen hac ipsa sancta Synodus, non esse sua intentionis, comprehendere in hoc decreto, ubi de peccato originali agitur, beatam & immaculatam virginem Mariam Dei genitricem, sed observandas esse constitutiones felicis recordationis Sixti pape quarti sub pennis in eius constitutionibus contentis, quas innouat hec Synodus.* Ipsius igitur Sixti pontificis, ne longius ea, lector, petere cogaris, verba sub-

*Concil. Tom. 34.*

D

iicimus , & primo quidem de festi conceptionis celebratione,  
deinde de pœnis in eo constitutis , qui conceptionem ipsam op-  
pugnant.

DECRETVM  
SIXTI IV. PONTIFICIS  
MAXIMI.

*De festo conceptionis immaculatæ virginis Mariæ.*

CVM præexcelsa meritorum insignia , quibus regina  
cælorum , virgo Dei genitrix gloriofa , sedibus præ-  
lata æthereis , sideribus quasi stella matutina perrutilans ,  
deuotæ considerationis indagine perscrutamur , & infra  
pectoris arcana reuoluimus , quod ipsa , vtpote via misé-  
ricordiæ , mater gratiæ & pietatis amica , humani generis  
consolatrix , pro salute fidelium , qui delictorum onere  
grauantur , sedula oratrix & peruigil ad regem quem ge-  
nuit , intercedit : dignum , quin potius debitum reputa-  
mus , vniuersos Christi fideles , vt omnipotenti Deo , ( cu-  
ius prouidentia eiusdem virginis humilitatem ab æter-  
no respiciens , pro concilianda suo auctori humana natu-  
ra , lapsu primi hominis æternæ morti obnoxia , eam sui  
vñigeniti habitaculum sancti Spiritus præparatione con-  
stituit , ex qua carnem nostræ mortalitatis pro redem-  
ptione populi sui assumeret , & immaculata virgo nihilo  
minus post partum remaneret : ) de ipsius immaculatæ  
virginis mira conceptione gratias & laudes referant , &  
institutas propterea in ecclesia Dei Missas & alia diuina  
officia dicant , & illis interfint , indulgentiis & peccato-  
rum remissionibus inuitare , vt exinde fiant eiusdem vir-  
ginis meritis & intercessione diuinæ gratiæ aptiores . Hac  
igitur consideratione inducti , eiusdem omnipotentis Dei  
ac beatorum Petri & Pauli apostolorum eius auctorita-  
te confisi , auctoritate apostolica hac in perpetuum vali-  
tura constitutione statuimus & ordinamus , quod omnes  
& singuli Christi fideles vtriusque sexus , qui Missam &  
officium conceptionis eiusdem virginis gloriofæ , iuxta  
piam , deuotam & laudabilem ordinationem dilecti filii  
magistri Leonardi de Nogarolis clerici Veronensis , no-  
tarii nostri ; & quæ desuper a nobis emanauit , Missæ &  
officii huiusmodi institutionem , in die festiuitatis conce-